

QUÆSTIO XXI.

DE PRÆDESTINATIONE CHRISTI.

Postquam S. Thomas quæstione præcedenti exclusit a Christo Domino filiationem adoptivam, in hac quæstione tractat de ejus prædestinatione, quæ erat secundum ex his, quæ conveniunt Christo per comparationem ad Patrem secundum habitudinem Patris ad ipsum, et quamvis prædestinatio conveniat Christo secundum humanitatem, quæ est ejusdem rationis in Christo, et in nobis, tamen prædestinatio est diversæ rationis, ut dicit S. Thomas articulo primo ad primum. Et ratio est, quia prædestinatio nostra est ad filiationem adoptivam, secundum illud ad Ephesios 1: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum*. Prædestinatio vero Christi est ad filiationem naturalem, ut idem Apostolus inquit ad Romanos 1: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*, et ideo quamvis prima parte quæstione xxiii, egerit de prædestinatione hominum, hic necessarium erat agere de prædestinatione secundum proprium ejus, et ut differt a prædestinatione aliorum. Et hanc quæstionem in quatuor articulos dividit: in duobus primis agit de illa secundum se, et duobus ultimis de illa per comparationem ad aliorum prædestinationem.

EXPOSITIO LITTERÆ.

In primo articulo determinat S. Thomas, quod ipsum esse Christi, seu hoc unitum, vel conjunctum ex Persona Verbi, et humanitate fuit prædestinatum, quod probat in corpore, quia talis unio est effectus supernaturalis, et consequenter debet cadere sub prædestinatione, quia nihil est in tempore, quod Deus ab æterno non præordinaverit se facturum, quia alias sequeretur divinæ menti aliquid de novo accidere. In solutionibus vero argumentorum determinat quomodo prædestinatio Christi sit ad filiationem naturalem Dei, et per consequens, quod est diversæ rationis a nostra, et quod non convenit humanitati, sed illi ut homini, ut exponunt verba Apostoli ad Romanos 1: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*, secundum quod factus est homo, et ideo ponit antecessionem in hoc, quod est fieri hominem, ad hoc quod est jam factus homo, est prædestinatus Filius, quæ antecessio solum est secundum rationem, quia est conditio ad prædestinationem requisita, quod subjectum præcedat terminum, et sic ponit utrumque effectum prædestinationis, scilicet, fieri hominem, et ut hominem factum, prædestinari ad esse Filium, non tamen verificatur, quod sit factus Filius, quia participium factus non appellat, sicut participium prædestinatus, quia non explicat actum animæ interioris, nam fieri pertinet ad ipsam rem secundum quod in se est, et suppositum Christi non incepit esse Filius, nec potuit fieri Filius, quia etiam

fieri denotat mutationem in termino, sed quam non denotat participium prædestinatus.

In secundo articulo cum implicatione determinat S. Thomas, quod est vera hæc propositio, quod Christus secundum quod homo est prædestinatus Filius Dei; et in corpore explicat occasione hujus, quomodo in hac singulari prædestinatione Christi reperiantur aliæ duæ conditiones necessario requisitæ ad prædestinationem, ut sit vera, et propria prædestinatio. Prima, quod effectus subsequatur prædestinationem tamquam quid temporale: secunda, quod sit donum Dei gratuitum: et utraque conditio verificatur de Christo ratione naturæ humanæ, quia non semper fuit unita Verbo, sed incepit in tempore, et quia per gratiam est ei collatum ut Filio Dei in persona uniretur. Ex quo infert S. Thomas, quod ratione naturæ humanæ convenit Christo prædestinari, et per consequens secundum quod homo est prædestinatus.

In solutionibus argumentorum docet, quomodo sit intelligenda hæc doctrina, scilicet, quod non conveniat ratione naturæ humanæ quod sit Filius Dei, quia hoc conveniret omni habenti naturam humanam, sed quod sit capax, ut ratione naturæ humanæ dicatur terminare actum prædestinandi, et recipere gratiam prædestinationis, et quod non ita proprie dicatur, quod Christus secundum quod Filius Dei est prædestinatus esse homo.

In tertio articulo resolvit S. Thomas, quomodo prædestinatio Christi sit nostræ prædestinationis exemplar, considerata prædestinatione secundum illud ad quod aliquis prædestinatur. Et prout sic dupliciter docet verificari: primo, quia ipse est prædestinatus ad hoc, ut esset Filius Dei naturalis, nos vero prædestinamur ad filiationem adoptivam: secundo, ex parte modi, quia in Christo nullis præcedentibus meritis natura humana est unita Filio Dei, nos vero ex meritis ejus, quia: *De plenitudine gratiæ ejus nos omnes accepimus*.

In quarto articulo resolvit S. Thomas, quomodo prædestinatio Christi sit causa nostræ prædestinationis, non ex parte actus divini sumpta prædestinatione, quia actus divini non datur causa, et quia eodem actu Deus prædestinavit ipsum, et nos, sed ex parte termini prædestinationis, quia ab æterno Deus præordinavit nostram salutem prædestinando, ut per Jesum Christum completeretur, sicut inquit Apostolus ad Ephesios 1: *Prædestinavit nos per Jesum Christum*.

DISPUTATIO XX.

DE PRÆDESTINATIONE CHRISTI SECUNDUM SE.

ARTICULUS I.

Utrum unio hypostatica, et extrema unita cadant sub divina prædestinatione?

I. Articulus iste quasi præambulus necessario præmittendus videtur ad explicandum punctum difficilius prædestinationis Christi, et alia ex

illo consequentia, ut videbitur in articulis sequentibus. In titulo hujus tria insinuantur, de quibus potest esse difficultas. Primum est, ipsa unio, seu ipsum unitum, quod est compositum ex Persona Verbi, humanitate, et est quasi inquirere, si hoc unitum cadit sub divina prædestinatione, quod explicatur, an scilicet hoc complexum: Deum factum esse hominem in tempore, sit objectum prædestinatum a Deo ab æterno; secundum est, utrum verificetur, quod principale extremum hujus unionis, vel compositi, scilicet Persona Filii Dei sit prædestinata

esse homo : tertium est, de alio extremo, quod est humanitas, an verificetur, quod fuit prædestinata, ut assumeretur a Verbo vel ad unionem cum Verbo.

II. Quibus suppositis dico primo : Filius Dei, seu Verbum ab æterno fuit prædestinatum esse homo. Hæc conclusio debet admitti cum isto addito, esse homo, vel fieri homo, ut inquit Suarez hic disput. I, sect. I, conclusione IV, et est expressa D. Thomæ hic art. II ad tertium, ubi inquit : « Potest dici, scilicet, quod et Filius Dei prædestinatus sit esse homo. » Ita ibi, ubi clare tenet conclusionem. Et in III, dist. VII, quæst. III, art. II, quæstiuncula I, in fine corporis inquit : « Conceditur, quod Filius Dei est prædestinatus esse homo, quia hoc ab æterno præordinatum est. » Idem habet ad secundum, et ibidem quæstiuncula III, in corpore sic habet : « Hæc : Filius Dei est prædestinatus in quantum homo, est vera. » Ita ibi. Et ut patet in titulo quæstiunculæ sermo erat de prædestinatione simpliciter, intendebatur, quod simpliciter esset falsa hæc : Filius Dei est prædestinatus, et S. Thomas hoc concedit, sumpta sine addito, et cum addito est vera.

III. Probatur ratione S. Thomæ in quæstiuncula prima, proxime citata in corpore : « Prædestinatio importat ordinem ad finem ; quando autem simpliciter ponitur, intelligitur præordinatio ad finem ultimum quando autem additur aliquid, importat præordinationem, tantum ad id quod adjungitur ; ergo per hunc modum debet concedi, quod Filius Dei est prædestinatus esse homo. » Patet consequentia ex antecedenti, quia per illud additum esse homo, non determinatur aliquid quod sit finis ultimus, ut conjunctio per gratiam, et gloriam, neque unio ad personam, quod convenit homini, vel humanitati, sed explicatur quidam

terminus immediatus talis prædestinationis, qui personæ convenire potest, scilicet uniri humanitati, tamquam suppositum illam terminans.

IV. Dices : An sit vera ista : Filius Dei est prædestinatus ad unionem humanitatis, quia videtur idem esse prædestinatus esse homo, et prædestinatus ad unionem, quia idem est, atque ad esse homo.

V. Respondetur cum S. Thoma in tertio ad Annibaldum, dist. VII, quæstione unica, art. IV ad tertium : « Quod hæc propositio : Filius Dei est prædestinatus esse homo, distinguenda est, quia potest notari antecessio respectu subjecti, vel respectu prædicati, vel respectu totius copulati ; in primo sensu est falsa, in duobus reliquis est vera, et ideo potius judicanda est vera, quam falsa. » Hæc S. Thomas. Ecce sensum in quo ponitur a nobis hæc propositio tamquam vera, sicut ponitur a S. Thoma hic, et in aliis locis citatis. Si tamen intelligatur, ita ut denotetur antecessio respectu subjecti, est falsa, ut inquit S. Thomas, et iste videtur sensus dicendo : Prædestinatus est ad unionem, quia propter ly ad denotatur, quod unio tenet se solum respectu termini, vel prædicati, et sic denotatur antecessio in ipso Filio Dei, ponendo solum ex parte subjecti, et sic videtur neganda, et nullibi invenitur in S. Thoma affirmata. Imo in eodem tertio ad Annibaldum, dist. X, quæstione unica, art. IV, in corpore inquit : « Præparari ad gratiam unionis personæ non convenit secundum se, sed in quantum est suppositum humanæ naturæ. » Ita ibi, ubi negat illam cum illa particula ad gratiam unionis, et concedit ut suppositum, quia ut sic est in sensu nostræ conclusionis, et esse homo ponitur etiam ex parte subjecti prædestinationis, in quo inferioritas, et posterioritas

reperitur comparative ad prædestinationem, ut postea dicemus.

VI. Dico secundo : Hæc est vera, humanitas est prædestinata ad unionem cum Persona Verbi. Hæc etiam est S. Thomæ hic art. I ad secundum, ubi inquit, quod illa opinio glossæ ab ipso allata ibidem, quæ asserebat prædestinationem intelligendam esse de natura, posse explicari sic : Prædestinatum est, ut humana natura uniretur Filio Dei in Persona, ubi S. Thomas admittit illam opinionem in hoc sensu, sed illam impugnat tamquam impropiam, et extortam expositionem verborum Apostoli Rom. I : *Qui prædestinatus est Filius Dei*, ut mox respondendo impugnationibus Vazquez dicemus. Et artic. II ad tertium inquit : « Quia tamen gratia non est facta Filio Dei, ut esset homo, sed potius humanæ naturæ, ut Filio Dei uniretur, magis proprie potest dici, quod Christus secundum quod homo, est prædestinatus. »

VII. Et in III, dist. X, quæst. III, quæstiuncula prima, in quo per totam disputat hanc conclusionem, expresse in argumento secundo. Sed contra, et in corpore quæstiunculæ, et ad primum. Sequuntur etiam commentarii theologi antiqui, et moderni, Durandus in III, distinct. VII, quæst. III, num. IX ; Paludanus, quæst. III, artic. III, conclusione I ; Scotus quæst. III ; Richardus artic. II, quæst. IV ; Gabriel dist. X, quæstione unica, art. III, dubio II ; Major quæst. I ; Bonaventura dist. X, artic. II, quæst. III ; et commentatores S. Thomæ in hac quæstione, Medina, Suarez sect. IV, Cabrera disp. I, §. VI, et alii.

VIII. Probatur ratione S. Thomæ, quam Vazquez disp. XC, cap. IV, num. XXIX, potius voluit tribuere Scoto, quam S. Thomæ, qui in quæstiuncula prima Sed contra, sub his terminis illam proponit : « Ex hoc

aliquis prædestinatur, quod prævidetur Deo uniendus per gratiam unionis ; sed humana natura ab æterno est prævisa Deo unienda per gratiam unionis ; ergo humana natura est prædestinata in Christo. » Ita ibi : major colligitur ex definitione prædestinationis.

IX. Confirmatur primo, ex corpore ejusdem quæstiunculæ ubi ait : « Prædestinatio secundum quod proprie accipitur, importat ordinem ad gratiam, gratia autem creaturæ facit unionem ad Deum, quæ unio est duplex, aut per operationem, ut cognoscendo, et amando, et hoc modo nos unimur Deo ; alio modo in personam, et hoc modo humana natura fuit unita Deo. » Iste est discursus S. Thomæ, qui sic reductus ad formam convincit conclusionem : Homines non aliter prædestinantur a Deo nisi quatenus præordinantur ab æterno ad unionem cum Deo per gratiam habitualementem ; sed gratia unionis in persona non est minor, nec minus perfecta in ratione unionis cum Deo ; ergo quidquid præordinatum fuerit a Deo, ut uniatur ipsi per gratiam unionis in persona, non minus, nec minus proprie erit prædestinatum, quam homines : sed hujusmodi est natura humana ; ergo. Probatur minor, quia de facto natura humana est unita ; ergo de facto fuit præordinata a Deo ad hanc unionem ; ergo non solum de possibili potuit prædestinari ad hanc unionem, sed de facto fuit prædestinata. Patet consequentia : Non aliter homines sunt prædestinati ad gloriam, nisi quia sunt præordinati ad illam ; ergo similiter humanitas si est præordinata ad unionem, est prædestinata ad illam. Consequentia tenet, tum a priori a diffinitione ad diffinitum ; tum a paritate aliorum.

X. Confirmatur secundo ex S. Thoma in III, ad Annibaldum, dis-

tinct. x, quæstione unica, art. iv, in corpore, ubi inquit: « Prædestinari est ad gratiam præparari; hoc autem dupliciter est, vel ad gratiam adoptionis, vel ad gratiam unionis: præparari ad gratiam adoptionis convenit aliis, non Christo; præparari vero ad gratiam unionis convenit naturæ, quæ est unica, etc. » et postea: « Ideo prædestinatio potest utrique convenire in Christo, sed primo, et principaliter naturæ: » ita ibi, ubi ponit expresse conclusionem, quod naturæ convenit primo, et principaliter prædestinari ad gratiam unionis, quod idem est atque ad unionem, et hoc infert ex antecedenti, quæ est diffinitio prædestinationis. Omnes rationes, quæ a modernis pro ista conclusione adducuntur, ad istas S. Thomæ reducuntur.

XI. Dico tertio: Unio hypostatica, seu hoc unitum, vel complexum: Verbum factum est caro, seu: Deus factus est homo, prædestinatum est ab æterno a Deo. De hac conclusione non est dubium inter auctores, ut ipsi fatentur locis inferius citandis. Est expressa S. Thomæ hic artic. i, in corpore, et articulo ii ad tertium expresse asserit: « Illa susceptio sub prædestinatione cadit tamquam gratuita: » loquitur de susceptione de qua Augustinus ibidem allatus inquit: « Quod est ineffabiliter facta homini a Deo Verbo. » Et in iii, distinct. x, quæst. iii, quæstiuncula prima ad primum, ubi inquit: « Prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam unionem. » Hæc S. Thomas. Simili modo loquitur Augustinus allatus a S. Thoma hic art. ii, in corpore de prædestinatione sanctorum capite xv, dicens: « Prædestinata est ipsi naturæ humanæ tanta, et tam celsa, et summa subvectio, ut quo attolleretur altius non haberet. » Ecce quomodo non dixit prædestinata est natura huma-

na, sed prædestinata est subvectio naturæ humanæ, et non dixit ad unionem, sed tanta et tam excelsa; ideo satis significat, quod ipse unio naturæ, nomine subvectionis explicata, est prædestinata.

XII. Probatur ratione, quæ est S. Thomæ hic articulo primo in corpore sic: « Prædestinatio est quædam præordinatio ab æterno de his, quæ per gratiam Dei fienda sunt in tempore; sed in tempore factum est per gratiam unionis hoc complexum, ut homo esset Deus, et Deus esset homo; ergo ipsa unio naturarum in Persona Christi cadit sub æterna Dei prædestinatione. » Major supponitur ex prima parte, quæst. xxiii, et est diffinitio prædestinationis: minor est fides catholica explicata Joannis i, in illis verbis: *Verbum caro factum est*, et multis aliis sacre Scripturæ testimoniis, ubi dicitur, quod: *Christus est Deus, et Jesus est Filius Dei*. Consequentia patet, quia non potest dici, quod Deus in tempore aliquid de novo cognosceret, vel sciret, quod ab æterno non ordinaverit, de quo prima parte in materia de scientia, voluntate, et prædestinatione Dei. Hæc conclusio amplius patebit ex sequenti.

XIII. Dico quarto: Hæc propositio: Christus est prædestinatus, absolute prolata sine aliquo addito ex parte subjecti, vel prædicati, est vera et propria locutio. In hac conclusione conveniunt omnes theologo antiqui, et moderni, colligiturque ex sacra Scriptura ita clare, ut oppositum non sit tutum in fide (ut inquit Cabrera hic art. i, disput. i, conclusione iii.) Ad Romanos inquit Apostolus de Christo: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*, ubi absolute ponitur prædestinatus: et i Corinth. i, de sapientia incarnata, quæ est Christus, inquit Apostolus: *Loquitur Dei sapientiam in mysterio, quæ abs-*

condita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, ubi etiam absolute ponitur verbum prædestinavit, et i Petr. i: *Christus dicitur agnus immaculatus, præcognitus quidem ante mundi constitutionem, manifestatus autem novissimis temporibus*. In his locis ponitur verbum prædestino; ergo cum proprietate sermonis debet accipi, quia verba sacre Scripturæ debent cum proprietate intelligi, quando non sequitur aliquod inconveniens, vel absurdum; sed ex hoc quod vere, et proprie dicatur, quod Christus sit prædestinatus, nullum sequitur inconveniens, vel absurdum in theologia, vel philosophia, ut ex solutionibus objectionum patebit; ergo.

XIV. Hanc conclusionem tenent D. Augustinus libro de bono perseverantiæ, capite ultimo, et tractatu ciii in Joannem, et libro de prædestinatione sanctorum, cap. xv, verbis allatis præcedenti conclusione; D. Hieronymus, Ambrosius, Anselmus, et S. Thomas super illum locum ad Rom. i: *Qui prædestinatus est Filius Dei, etc.* et communiter commentatores ejusdem loci. Verba S. Thomæ sunt ibidem lect. iii: « In Christo ipsamet illius compositio, non est mere naturalis, et ideo vere, et proprie est prædestinata, et ab illa potest Christus absolute, et simpliciter denominari prædestinatus. » Approbant etiam illam Hilarius libro vii de Trinitate, Irenæus libro iii contra hæreses, cap. xviii et xxxii. Ex scholasticis magister sententiarum in iii, dist. vii; omnes commentatores S. Thomæ ibidem, et hic sequuntur ipsum Cajetanus, Medina, Suarez, Vazquez, Cabrera, Nazarius, Alvarez, et omnes moderni, qui omnes in conclusione, ut jacet, conveniunt, scilicet, quod Christus sit proprie prædestinatus, quamvis in modo explicandi subjectum, et terminus prædestinationis ad

aliud præter unionem, magna sit disconvenientia inter illos, ut inferius patebit. At vero hæc conclusio nihil determinat modo, nisi solum ipsam unionem hypostaticam, et compositum ex illa, ut unitum, esse objectum, et terminum divini actus prædestinationis.

XV. Rationes pro hac conclusione sunt allatæ pro præcedenti, quia solum distinguuntur istæ duæ conclusiones in terminis, idem enim quod significat hoc complexum: Deus factus est homo, vel: Humanitas est unita Verbo, significat iste terminus incomplexus Christus; cum autem significatur per hanc vocem Christus, fit quid supernaturale, ex libera Dei voluntate proveniens non a casu respectu Dei, sed altissimo consilio divinæ sapientiæ dispositum, et in magnam gratiam humani generis, propter cujus libertatem tantum mysterium est patratum, et hoc cedat etiam in ostensionem divinorum attributorum, non potest negari habere rationem objecti, et termini divinæ prædestinationis.

XVI. Confirmatur: Christus est prædestinatus proprie ad filiationem, ut articulo sequenti dicemus, vel saltem improprie (ut alii volunt) et ad minus fuisse prædestinatum ad gratiam, et gloriam est communis consensus scholasticorum, ut articulo quarto videbitur; ergo ex vi talis prædestinationis ponitur in re subjectum talis termini. Patet consequentia: Prædestinatio ad aliquid, aut supponit subjectum ordinabile ad illud, sicut in Angelo et homine prædestinatio supponit Angelum et hominem in esse naturæ, ex vi alterius actus divini determinantis esse naturale ipsorum; si autem subjectum non præsupponatur determinatum, debet poni ex vi prædestinationis, ne frustretur prædestinatio; sed hujusmodi est hoc compositum Christus, quia non est